

## MAJOR SE OMNIPOTENTIA.

Fecit potentiam in  
brachio suo.

Cant. Magnif.

## CARMEN V

Cum fabricabatur, totum aedificabat et or-  
(bem,  
Majus opus DEUS, arcana jam mente fovebat,  
Majus opus, fieri nemo quod posse putabat:  
Non homo, non aliquis felicior incola cœli.

5 Huic operi Omnipotens voluit proludere,  
(tentans  
Exploransque suas vires, cum condidit orbem.  
Tanti opus hoc! Et erat post saecula multa fu-  
(turum.

Scilicet Humano vestiri corpore, et alvo  
Virginis includi, quem totus non capit orbis,  
10 Et fieri Puer, atque Infans DEUS ipse pa-  
(rabat.

Ergone descendens cœlo immutabile Numen  
Mutabit vultus, Pueri et Puer induit artus?  
Hoc nec cœlestes ipsas ascendere Mentis  
Suspensione unquam potuit. Vos plaudite Sancti  
15 Aligeri Puero, Puerique applaudite Matri,  
Et Puero, et Matri, mecum vos dicite carmen.  
Quidquid in orbe DEUS fecit, quando omnia  
(fecit,

Ludus erat, ludens digitis illa omnia fecit.  
Qui solis digitis, qui ludens condidit orbem,

20 *Quas habet immensas vires huc contulit omnes,  
Brachij et extenti huc congesta potentia tota est.*

Exhaustit se se Omnipotens, Altissimus, in Te.  
Tu Patris Æterni, Tu magna Potentia solus.

Macte Puer: nunc demum ostendis te Omnipoten-  
(tentem,

25 Cum vili instabulo tanquam Puer ultimus  
(orbis

Nasceris ignotus: cum dat cunabula foenum:  
Cum vix sunt panni, et puerilia lintea Matri,  
Nec satis ut non te crudelia frigora laedant:  
Cum tacitæ teneris lacrymae labuntur ocellis:

30 Cum lallas vagisque tener sine viribus In-  
(fans.

Hoc est, quod nemo nostrum te posse putabat;  
Et potuisti etiam. Hoc demum est esse Omnipoten-  
(tentem.

Ut vult; nec possunt tam parvula brachia Ma-  
(trem

Amplecti! Ut *Mater* conatur dicere, *Ma-Ma*

35 Ingeminat Puer, infanti balbutit et ore!  
Haeret in obtutu Matris Puer: illa modestos  
Attollens oculos, oculis respondet amori.  
Ut Puer assurgit gremio, pedibusque tenellis  
Insistens, Matri mille oscula dulcia figit!

40 Scilicet haec Salomon, Davidis maxima  
(proles  
Olim magnifico praedixerat oscula cantu, (a)

(a) Cant. I. v. 1.



Vaticinans quae nunc Puer hic petit oscula Ma-  
(tri

Et quae Divinis Infans premit ubera labris.

Salve Sancta Parens, Salve castissima Virgo,  
45 Ancillam te humilem, non plus tu te ipsa  
(vocabas:

Utere jam tandem, dulci utere nomine Matris.  
Magna in te Omnipotens Miracula grandia fecit!  
Totus Divinus requievit Spiritus in te  
In te etiam, Virgo, exhausta Omnipotentia tota  
(est.

50 Quique potest nutu meliores fundere So-  
(les,

Majores caelos, millenaque sidera et orbis;  
Nec poterit deinceps, nec jam conabitur unquam  
Mejorem Te, nec meliorem fingere Matrem.

Salve Magna Parens, sola et tu Virgo, Pa-  
(rensque.

55 Tu Rubus ille ardens illaesus: Tu quoque  
(es illud

Vellus rore madens circum sitientibus agris,  
Rursus et intactum medio agro vellus ab imbre.  
Tu, Virgo, tu illa Eliae nubecula parva,  
Quae totum subito caelum circumdedit alvo.

60 Tu de Jessaea radice es mystica virga,  
De qua prorupit tandem Flos candidus ille,  
Quem suspirantes, votis, lacrymisque vocabant  
Æterni colles, Veteres Sanctique Parentes. (a)

Salve iterum Mater Divina Puerpera Virgo,  
65 Qui tuus, hic Patris Divini Filius idem est.  
Agnovit Bos, et rudis ipse agnovit Asellus

(a) Desiderium collium aeternorum. Gen. 49. v. 26.

Te Puerumque tuum: proni sternuntur, et ambo  
Ore foveant Puerum, curvato et poplite adorant.  
Pastores huc o celeres: plenisque canistris

70 Ferte citi flores, et circumfundite flores,  
Purpureas violas, casiamque crocumque ruben-  
(tem,

Albaque mixta rosis, beneolentis lilia campi.  
Interea canta tua tu, Cumaea Sibylla  
Carmina, quae rerum ignarus male carmina tor-  
(sit

75 Nescio quis; sed erat, memini, bonus ille  
(Poeta:

*Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo  
Jam redit et Virgo, redeunt Sanctissima regna.  
Jam nova progenies caelo demittitur alto.*

*Te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,  
80 Irrita, perpetua solvent formidine terras.  
Occidet et serpens, et fallax herba veneni*

*Occidet.* Haec rerum tantarum ignarus; et au-  
(dax

Sacrilego rapuit furto bonus ille Poeta.  
Atqui Serpenti jam tum cum condidit orbem  
85 Usque minabatur DEUS ipse, et: conteret,  
(inquit,

*Virgo tuum caput, et frustra insidiaberis illi.  
Frustra: nec potuit Draco teter, et improbus ille  
Te morsu foedare, tibive aspergere virus  
Immane, et saniem horrendam, atque arcana*  
(venena,

90 Queis necdum natos Mortales implicat o-  
(mnes.

Victor io, bellator io Pes Virginis hujus!  
Nam pede contrivit caput exitiale draconis.



Victor io bellator io! Male saucius anguis  
Ad caput illisum pavitantes vix plicat orbis.

95 Victor io, bellator io Pes! Irrita tandem  
Contritum serpens vomit atque ignava venena:  
Evomit incassum coluber quae pascitur atrox  
Toxica, quae mandit rabidus mala gramina et  
(herbas.

*Occidit en serpens, et fallax herba veneni*

100 *Occidit*, infecit primos, quae perfida Patres,  
Quaeque hominum tabe intinxit genus omne  
(futurum.

Siqua manent priscae illius vestigia culpae;  
Tu Mater Virgo, tuus et dulcissimus Infans  
Divina, et praesens estis medicina salutis:

105 *Per vos, siqua manent sceleris vestigia nostri,*  
*Irrita, perpetua solvent formidine terras.*  
Qui sine Matre fuit soboles aeterna Parentis;  
Nunc demum sine Patre oritur de Virgine Ma-  
(tre:

*Nunc nova progenies coelo demittitur alto.*

110 Et Puero, et Matri imperium sine fine  
(gerendum

Omnipotens dederat Pater, et qui bella ciebat  
Hoste triumphato, domito, occisoque dracone

*Ecce redit Virgo, redeunt Sanctissima regna,*  
*Magus et hinc oritur saeculorum et vertitur ordo.*

115 O quanta in Puero, et Matre hac miracu-  
la! Quanta!  
Grandior, et Major nunc Omnipotentia se ipsa est.



## EXCESSUS.

Dicebant excessum  
ejus, quem completu-  
rus erat in Jerusalem.

Lucae 9. v. 31.

## CARMEN VI

Heu! Quianam tanta gemit convulsa ruina  
Undique totius concussi machina Mundi?  
Ecce improvisam, horrendam noctem: ecce re-  
(pente  
Exstinctus medio Sol supra in culmine caeli est!  
5 Spissae, et quae tangi manibus potuere, te-  
(nebrae!  
Luna procul nunc est: nec totum extinguere So-  
(lem  
Luna potest, nec tam ambitiosam offundere no-  
(ctem,  
Quae coelum, totumque involvat, et obruat or-  
(bem.  
Templi vela, hominum nullis cogentibus, ipsa  
10 Sponte indignantur summoque a vertice ad  
(ima  
Stridorem, irasque ingeminant, et rupta dehi-  
(scunt.  
Nudanturque, profanata et Mysteria lugent.  
Saxa etiam rumpuntur: hiant revoluta sepulcra:



Apparent simulacra, modis surgentia miris.

15 Omnia, turbato penitus rerum ordine, nu-  
(tant,

Volvuntur tanquam jam jam interitura, ruuntque.

Scilicet indigna, et crudeli morte peremptus  
Exspirabat HOMO DEUS: et sensit, gemitque,  
Auctoremque suum morientem exhorruit orbis.

20 Hiccinē, quem spinis horrentem tempora  
(circum

De clavis, de vulneribusque, et de trabe cerno  
Pendentem, mediumque duos hinc inde latrones,  
Hiccinē HOMO DEUS est? Et quis committere tantum  
Ausus, vel potuit? Nihil o! Crudelius unquam!

25 Aspice diffusum totum exhaustumque  
(cruorem  
Quam lacerum est, quam triste, cruentatumque  
[cadaver!

Aspice vibices, plagasque, et verbera: sputa  
Atque alapas in vultu ipso: et quæ vincula, funes  
Passim impresserunt vestigia multa cruenta!

30 Aspice adhuc distenta, avulsaque ab ossi-  
(bus ossa:

Obsignatos morte oculos, et sanguine multo  
Concretos: etiam concretos sanguine crines:  
Imbutasque, et rorantes quoque sanguine spinas:  
Et manus, utrosque pedes grandi atque trabali

35 Clavo confixos ad palum, et vulnere ru-  
(ptos!

Ruptum etiam pectus! Vulnus crudelius hoc est.  
Postremum ediderat gemitum expiraverat et jam  
Mors erat in vultu, palam erant vestigia mortis,  
Et tamen immanis tentavit lancea pectus:

40 Ultima scrutatum est ferrum penetralia  
(cordis,

Si qua lateret ibi vitæ pars ulla superstes.

Ferrum crudele: et multo ah! crudelius ipso  
Clavorum ferro! Nihil o! crudelius unquam.

Quis tibi nunc, Virgo, cernenti talia sensus?

45 Cum prope stans immota, DEUM Natum-  
(que videres

Inter tormenta, atque inter ludibria, clavis  
Infami affixum palo, suspiria dantem  
Postrema, et tandem claudentem lumina morte?  
Ultra etiam mortem transfossum cuspide pectus?

50 Stabat, perque genas mutæ lacrymæ at-  
(que silentes

Ibant. Nec planctu, nec foemineo ululatu  
Obstrepat. Infandum, dirum, immensumque do-  
(lorem

Pectore conclussum, laniantem viscera, totum  
Sustinuit: Materque eademque tenerrima Virgo

55 Stabat: cum totus rueret, pessum iret et  
(orbis.

Mira ingens et digna Dei constantia Matre!

O bene quod video geminos et sanguine cla-  
(ros

Et pietate viros accinctos tollere corpus  
De cruce! Jam scalas ambo subiere, crucemque.

60 Evellunt spinas primum sævamque coro-  
(nam:

Stillat adhuc multus renovato e vulnere sanguis.  
Percrepat et gemitu, et repetitis ictibus instat  
Malleus, et crebra forceps vi annexa, laborat  
Eruere, intortos retrorsum a cuspide, clavos.



65 Hos jam tandem exemere, amplexuque ca-  
(daver  
Divinum stringunt mœstissima et oscula figunt.  
Fortunati ambo nimium! Qui sustinet orbem  
Sustentant! Ipsorum humeris, colloque recum-  
(bit!  
Heu! Major, Virgo, major te pœna manebat!  
70 Illa quidem Gnati lacerum, et miserabile  
(corpus  
Virgineo excepit gremio, complexaque, et hæ-  
(rens  
Materno, vultum, vultu atque os ore premebat.  
Pallida, et attonita, ubertim, et sine murmure  
(lapsis  
Vulnera tergebat lacrymis, lacrymisque lavabat.  
75 Hiccine, Virgo Parens, tuus est Pulcherri-  
(mus ille?  
Aspice, et explora hos oculos, hæc ora; manus-  
(que.  
Filius hicne tuus, Sobolesque Æterna Parentis  
Divini, et cum Patre Deo Omnipotens DEUS  
(ipse?  
Heu! Quam dissimilis, quantum mutatus ab illo  
80 Cujus in aspectu, noctesque diesque tra-  
(hebas?  
Cujus ad imperium Manes, et paruit ipsa  
Improba Mors, surda actutum patuere sepul-  
cra:  
Redditaque amissæ viguere cadavera vitæ?  
Hircanæ Tygres hæc, Getulive Leones  
85 Aspiciant: Tygres flebuntque Leones,  
Quamvis de rigido staret mihi marmore pectus;

Nunc o! nunc etiam rumpuntur saxa, gemunt-  
(que.  
Flere libet: justo libet indulgere dolori.  
Mortuus est Immortalis. Quis credere tantum?  
90 Tanto infelices homines complexus amore  
(est!  
Mortuus est, nostra infanda ut commissa piaret:  
Mortuus, ut nostra ablueret peccata cruore.  
Ne nos, qui meriti, nos qui peccavimus ipsi  
Morte immortalis æterno lueremus et igne.  
95 En cur Divinam vitam cum sanguine fudit:  
Curque tulit tormenta, crucem, ludibria, mor-  
(tem.  
Hoc ille, hoc unum crimen commisit, *Amavit!*  
O Amor! O mi dulcis Amor, Dulcissime JESU,  
Quid nos, quid viles homines tam perditte amas-  
(ti,  
100 Prodigus ut velles Divinam effundere vi-  
(tam,  
Et tam ignominiosa, et acerba occumbere mor-  
(te?  
Peccarant; luerent homines peccata; perirent  
Addicti nunquam morituris ignibus: omnes  
Nos meriti nimium sumus has exsolvere pœnas.  
105 Num Tu propterea, num Tu minus inde  
(beatus?  
Dicam iterum, audeboque iterum: Nos perditte  
(amasti.  
Plus etiam audebo: *mente excessisse* videris,  
Cum nos, cum viles homines tam perditte ama-  
(sti.  
Hic erat *excessus* Solymis complendus, *amoris*  
110 *Quem Moses quemque Elias, in vertice, Tecum*



*Montis dicebant, mirabanturque vicissim.*

Excessit DEUS: *excessum complevit*, amavit  
Ad mortem atque ultra. Spirant hæc vulnera  
(amore.

Mortuus est, et adhuc hoc spirat pectus amo-  
(rem:

115 Sed jam verborum satis est. Nil carmina  
(prosunt.

Vos lacrymæ, et gemitus vos o! Succedite fle.  
(tus-



## SOPOR EXCUSsus.

Ego dormivi et  
soporatus sum, et  
exsurrexi.

Ps. 3. v. 6.

## CARMEN VII.

Ite procul gemitus, procul hinc absistite lu-  
(ctus:

Nam sopor ille fuit, non mors: dormivit JESUS.

Magdala, quid lacrymas frustra tu perdis, et  
(usque

Singultans, vix non moreris consumpta dolore?

5 Quidve unguenta paras, interque cadave-  
(ra, demens

Quæris viventem? Nulla hic jam funera, nullum  
Stringere quod possis, flendo, inter brachia cor-

Atque alœ, et mixta lacrymis perfundere myr-  
(rha

Lilia cui possis, et circumfundere myrtum,

10 Et moerentem hyacinthum, immortalesque  
(amaranthos.

Huc ades o! Vacuum sine corpore cerne sepul-  
(crum:

Crede oculis tu tu ipsa tuis. Quem perditâ tan-  
(tum

Luges, quem tantum suspiras, Magdala, vivit:



Non mors; sed sopor ille fuit: dormivit JESUS.  
15 Sed quid dissimulem? Quis fallere possit  
(amantem?

Mors fuit illa quidem, fuit illa miserrima cædes;  
Sed tamen ille tuus non est hic, Magdala, JESUS.  
Rupit, si nescis, perrupit vincula mortis,  
Ceum posset facilem, placidumque abrumpere  
(somnum.

20 Victor io! Mortis victori dicite carmen:  
Surrexit, qualis vel matutinus Eöus  
Lucifer, aut surgit ridens Aurora tenebras.  
Nil vigilum excubiæ, Miles nihil obstitit illi,  
Nec lapidem immanem superimposuisse sepul-  
(cro,

25 Quem nulli vectes, posset vis nulla move-  
(re.

Et poterat solo nutu ille revolvere saxum;  
Noluit. Intacto juvat illum exire sepulcro,  
Integra ut exivit quondam de Virginis Alvo.

Olim erat affinis morti sopor; illa sopori

30 Fastu se extollens, affinem se esse nega-  
(bat.

Quippe recensebat longos sine fine triumphos:  
Tot populos, urbesque et regna sepulta ruinis:  
Tot Reges, quondam populorum terror, et or-  
(bis,

Qui nulli excutere, aut potuerunt fallere mor-  
(tem:

35 Nunc cinis exiguus sunt, exiguæque favil-  
(læ:

HIC JACET, hoc illis superest de Regibus unum.  
Non ita Rex Regum. Morti concessit, obivit  
Ille; sed illius nempe hæc sunt scripta sepulcro.

SURREXIT JAM. NON EST HIC. SURREXIT JESUS.

40 Solus hic excussit mortem, mortemque fe-  
(fellit.

Nunc primum affinis, placidoque simillima so-  
(mno

Mors fuit. Illa alios jam dedignata triumphos;  
Se se Immortalem tandem vicisse canebat.

Vulnera vulneribus, tanto diffisa triumpho,

45 Congessit, post mortem etiam, obstruxit-  
(que sepulcrum.

Jamque videbatur sibimet segura triumphi:

Et currus, et equos, atque aspernata quadrigas:  
Alta, triumphales nigras superinduit alas,  
Tentabatque superba ipsum conscendere cœ-  
(lum,

50 Atque ipsi, ut terris, cœlo dominarier alto.

Vana, caduca fuere hæc (non plus) somnia Mor-  
(tis.

Omnia quæ miserae crepitabat gaudia fa-  
(stus,

Omnia mendacis placida hæc ludibria somni

Versa retro. Cœlos dum mors meditatur et a-  
(stra;

55 De cruce descendit DEUS ille ad regna  
profunda,

Ad manes, Erebumque Potestatesque tremendas:

Omnes sternuntur passim, pronæque silesunt.

Inde Triumphator rediens redivivus in auras

Æthereas, multas Animas, et corpora multa

60 Sanctorum, in cineres, jam sæcula longa,  
(redacta,

Stare iterum secum jussit, secumque venire,



Divinosque sibi, et pulchros glomerare trium-  
(phos.

Nec mora: Qui nuper cineres; jam plena vigoris  
Plenaque jam vitæ, circumdata et undique luce  
65 Corpora erant. Ingens, vivum de morte

(trophœum!  
Mortem ipsam Victor pavitantem, et multa ge-  
(mentem

Ire catenatam ad currum et post terga revin-  
(ctam

Jusserat, inque rotas fœdos illidere dentes.  
Victor io! Plausus iterate, et fundite plausus.

70 Vicisti, et victam mortem tibi tendere pal-  
(mas

Angeli ab æthereis multum plaudentibus oris,  
Nos quoque cum plausu mortales vidimus omnes,  
Et videre ipsæ, infernæ et gemuere tenebræ.

Victor io! Dulces geminate et rumpite cantus.

75 Solus Amor vicit JESUM. Redivivus ab um-  
(bris,

Quæ sibi fecit Amor dulcissima vulnera gestat:  
In corde, in manibus charissima vulnera servat.  
Victor Amor! Mortis Victor nam Victus Amo-  
(re est.

O ubi nunc tandem vana illa insomnia mortis?  
80 Versa retro, excusso, sunt illa insomnia,  
(somno.

## DEUS ABSCONDITUS.

Vere tu est DEUS  
Absconditus.

Isa. 45. v. 15.

## CARMEN VIII

Cum dilexisset sibi, quos delegit Amicos (a)  
Mirum incredibile et quantum dilexit eosdem  
In finem vergens, jam jam moriturus JESUS.

E Cœna surgens: erat etsi perfidus unus

5. Inter bis senos; jubet illos usque sedere  
Ordine quemque suo: celer ipse, et plenus amo-  
(re

Mittit aquam in pelvim, circum sibi candida cin-  
(git

Lintea, deque genu, toto ore, et pectore pronus,  
Sollicitis modo aquas manibus, modo lintea tra-  
(ctans

10 Illorum ille lavare pedes et tergere cœpit.  
At contra attonitusque horrensque resistere Pe-  
(trus.

Nil agis, o Tu Sancte senex, frustra que repu-  
(gnas.

Abluet ille pedes, dabit hæc tibi, et ultima amo-  
(ris

(a) Jo. 13. v. 1. et seq.



Pignora cara sui: frustra que moraris amantem:

15 Et Divina etiam Majestas cedit amanti.  
Et tamen hoc quantum est nihil est; majora su-  
(persunt,  
Majus amoris opus parat, et molitur JESUS.

Vos o, vos omnes accerso et provoco Aman-  
tes,  
Quotquot in orbe aliquando nuncve, olimve fui-  
(stis:

20 Huc vos, hic magnum certamen initur a-  
(moris.  
Dicite siquid amor facere unquam grande coë-  
(git

Vos, vestros, ipsimet vos extollite amores.  
Congerite huc etiam, quosquos vel fabula men-  
(dax  
Obstrepit, Historia, aut siquos miratur Aman-  
(tes

25 Fingite praeterea, nam concedam hoc quo-  
(que vobis,  
Adjicite et nova siqua placent mendacia: cuncta  
Audiam, et annitar, quaecumque haec vera pu-  
(tare.

Quaecumque ista tamen, nimium mihi frigida,  
(sordent  
Omnia, Divino si componantur amanti.

30 Frigent Euryalus, Nisus, Pyladesque, et  
(Orestes,  
Tyndaridaeque, et Atridae ambo, Patroclusque  
(et Achilles

Frigent Mausoli cineres, quos miscuit omnes,  
Vinoque et mistos lacrymis charissima conjux  
Exhausit. Quam majus opus molitur JESUS!

35 Ille viam invenit, qua nostri in pectoris ima  
Intraret, non jam in cineres conversus inertes;  
Omnipotens ut erat potuit plus, plus et amavit.  
Ille intentatam ante viam tentavit, et ipse  
Quæsivitque sibi, invenitque in pectore sedem.

40 Ingeniosus, inaudito miraculo amoris  
In Panem, in Vinum, extollens vocem Omnipoten-  
tentem,  
Verbo transformat se se: cibus esse videtur, (a)

Et semet manibus gestat, se dividit ipse:  
Infert se se in Discipulorum pectora totus.

45 En ut amore actus, Majestatem exiit o-  
(mnem,  
Majestatem immensam, infinitam, atque tremen-  
(dam!

Quique homo, Quique DEUS, totus sub imagine  
(panis,

Qualis erat coram, et rursus sub imagine vini  
Totus erat. Latebras interdum quærere Aman-  
(tes,

50 Et furtim auscultare solent, placet usque  
(latere,  
Clamque esse; hunc morem sibi nunc adsciscit  
(JESUS.

Nec putat indignum, nec dedignatur amare  
Has tam humiles latebras, facilem de vite liquo-  
(rem,  
Et facilem, exiguam, et cererem. Ultro se ab-  
(didit ille

55 In mica in gutta. *DEUS Absconditus hic est.*  
Parce precor, JESU, sine me o! Mitissime JESU,

(a) Mat. 26. v. 26.



Succensere tuo, si fas, audenter amori.

En quid agis? Necdum tu homines bene nosse  
(videris

Impium et ingratum semper genus. Huncmet  
(amorem,

60 Christe, tuum, tanquam vana esset fabula,  
(multi

Heu multi excipient risu, infandoque cachinno.

Perfidiosi, insani, hoc te fecisse negabunt,

Et potuisse etiam. Scelus exitiale nefandum!

Credere præseferent alij se, ibuntque frequen-  
(tes

65 Templâ, tuas passim proni sternentur ad  
(aras:

Te coram stabunt; stabunt sed corpore coram;

Mente tamen procul usque aberunt, et nil minus  
(illi.

Quam te o Dulcis Amor, secum tum mente re-  
(volvunt.

Nonne vides? Alios vel tum meditantur amores,

70 Cum tua templa adeunt, et cum tua sacra  
(frequentant.

Unum nempe tuum illi obliviscuntur amorem.

Contemnunt te unum. Tanquam vilissima quæ-  
que

Tractarent, audent scelerati hæcmet tua sacra  
Polluere, et sanctæ polluti accedere mensæ.

75 Ecce modo immane, hoc audet jam perfi-  
(dus ille!

Hosne tu amare potes? Tibimet jam consule JE-  
SU.

Quis quis amat saltem (minimum hoc est) spe-  
(rat amari;

Tu quid agis? Quorsumve tuos sic perdis amo-  
(res?

Sed nihil ista movent JESUM: nam plus amat  
(ille

80 Quam sumus ingrati, crudeles, perfidi, a-  
(cerbi

Nos homines, neque amasse unquam nos, pœni-  
(tet ipsum.

Scilicet ut Mater furiatum, menteque captum

Atque reluctantem gremio fovet anxia gnatum,

Deliciasque suas vocat, et mille oscula miscet

85 Perdita, blanditiasque novas meditatur, et  
(urget.

Ille oculos circum asper volvens, torva tuetur,

Et sputa, et spumas Matri male torquet in ora;

Sed necdum Pueri Matrem, neque taedet amo-  
(ris.

Sic nos, multo etiam plus nos dilexit JESUS.

90 Transformasse semel se se necdum est sa-  
(tis illi.

Quotidie id fieri juvat, et delectat Amantem

In latebras sæpe, inque humiles abijisse figuras.

Ut possemus idem, pene et nos Omnipotentes

Essemus, dedit. Immensi, admirabile amoris

95 Portentum! Hoc ipsum quod feci, et vos  
facite, inquit,

Quandocumque animus feret, et mihi amica vo-  
(luntas,

Et memores estote mei. Quis talia fando

Explicet, aut verbis immensum hunc aequet a-  
(morem?

Ecce et ego, quot sunt hominum indignissimus  
(unus,